









6

VICTVS  
LACTANTIVM  
IN LACTENTES  
VARIAM EFFICACITATEM

\*\*\*\*\*

PRAE S I D E

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PUBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. UTIL. ITEMOVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI H. T. DECANO

D. XXVII. DECEMBERIS CICIDCCLXXXVIII.

DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS

PUBLICE EXPONET

A V C T O R

FERDINANDVS WEISS,

KATSCHERIENSIS SILESIUS.



---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
¶ TYPOGRAPHEO APITZIANG.





## PROOEMIVM.

Perinde valere infantulos lactentes, ut ipsorum matres aut nutrices lactantes vario nutrituntur vietū, quotidiano fere exemplorum testimonio abunde constat. Quippe hinc quoque ipsam elementorum, ex quibus muliebre lac componitur, miscelam vario modo graduque mutari, chemico non solum examine compertum est, sed etiam ipse diversus

A 2

uersus di<sup>c</sup>ti laetis color, sapor, et haud raro odor, luculenter demonstrat. Vnde haud difficilis est coniecturae, quidnam subsit caussae, ex quo a vario latentium vietu latentis infantis valetudo saepe numero plurimum adisciatur. Dum ergo hac de matre breuiter differere instituo, rem aucturus mihi videor, nec specimine academico, nec beneuolo lectorum adsensu indignam. Quo minus autem huiusmodi libelli academicci limites transgrediar, et propositi terminos excedam, temperabo nunc calmo ab omni eorum, quae aut regiminis, quod medici dicunt, aut reliquarum rerum non naturalium, praeter vietum, errores in muliebris laetis miscela immutant atque pervertunt aestimatione.

---

§. I.

§. I.

*Praemonenda quaedam.*

**Q**uod suetione attrahunt ex mammarum papillis, et deglutitionis ope in ventriculum deferunt infantes, muliebre lac potissimum ex chylo, in arterioso sanguine adhuc oberrante et fluitante, singulari naturae opificio in peculiaria mammarum vascula ex arteriolarum ibidem dispersarum finibus deponi, anatomici atque physiologi scriptores luculenter tradunt: ad quorum ergo scripta nos, quibus iusta atque concinna in differendo breuitas est praesticuta, remittere oportet letores. Satis ergo nobis in praeſentia erit, ex doctrinis istis physiologicis naturali consecutione colligere, in tantum lactis humani naturam elementorumque indolem varie mutatum et conuersum iri, in quantum ipſe chylus a varia vietis conditione diversam quoque adquirit mixturam. Quae ut plenius constare possint lectoribus, ipsum huius lactis examen chemicum praemittamus: animum tamen ad solum lac muliebre nunc aduersuri, quippe quod praeципue nostri interest iustituti; licet haud ignoremus, lactis alius animalis naturam multa quidam habere cum humano lacte communia, aliqua tamen priua atque peculiaria.

A 3

§. II.

## §. II.

*Examen lactis generatim.*

Lac quodcunque, et ipsum adeo muliebre, dum recentissime emulsum adhuc calet, leuissimo quadam odore, acidi praesentiam subobscure prodente, nares inficit: quam primum vero amissus est tepor, motu singulari intestino seiungi incipiunt proxima elementa, misso ad superiorem superficiem *cremore*, inferius subiecto *sero* spissidente, *caseosis* particulis pleno. Concusus et agitatus tremor oleosas suas particulas nunc in *butyrum* cogit, exturbato hinc reliquo *sero*; cui adhuc teneriores moleculae *caseofae* inhaerent. Hinc albet, ideoque *lactis* ebutyrati nomen meruit. Ex his cognoscitur, *lacti* tria tantum elementa, *butyrum*, *caseum*, *serum*, a natura esse data. Animalis prosapia, adipis nimirum, indicia facile in *butyro* inuenias; forte etiam *lymphae* in *caseo*: *serum* vero potissimum vegetabilibus alimentis atque potulentis deberi videtur; quandoquidem foetor allii, odor thymi, amaror absinthii, leuissimus rubor rubiae, a quibus omnibus infectum erat lac, in *sero* quoque nostris ex experimentis supereft! Ceteroquin vero lac muliebre, naturae conueniens, coloris est ex albo nonnihil flauescens, saporisque subdulcis et grati: in valetudinariis feminis vero aut magis flauet, aut caerulescit, itemque ab inedia, a diuersis morbis, et vietu mere animali alcalefcentem falsedinem adquirit. Cremoris copia

pia idem ceterorum animalium lac plerumque  
superat a).

### §. III.

#### Eiusdem examen chemicum.

Quae porro de lacte eiusque ante memoratis  
elementis proximis, chemicorum studio, innotue-  
runt, omnia atque singula hic non repetituri sumus:  
sed ea tantum, quae illustrando nostro arguento  
propius inseruire videntur b). Specifica, quam di-  
cunt, grauitate antecellit muliebre lac omnibus reli-  
quis lactis generibus, si asinimum excipias. Nec co-  
gitur ab vlo acidorum genere, secus, ac in aliorum  
animalium lacte fieri solet; nisi diuturnus vietus ve-  
getabilis lactantium accesserit. Nec in cogendo lacte  
mulierum aliquid valent alumen et extractum saturni  
acetosum; nec alcalinorum salium vtrumque genus  
aut alcalinae terrae; nec, quotquot sunt, mediae  
naturae salia. Nec sua sponte coagulum concipit hoc  
lac, vel in ipso calore non admodum intemperato,  
et in quiete conseruatum, post ipsam diuturnam mo-  
ram, si vietu mere animali vsae sint mulieres: a vietu  
vero potissimum vegetabili, elapsis demum octo die-  
bus, cogi visum est. Contra ea vegetabilium ex aci-  
do

a) Luculentius haec omnia recensent illustris ALBERTVS de HAL-  
LER in *Element. physiol* g. Tom. VII. Part. II. pag. 24. seqq. et  
PETR. JOSEPH. MACQVER in *chymischen Wörterbuche*: Th.  
III. pag. 539. seqq. edit. Leonhard. a quo vitroque etiam magna  
scriptorum hue pertinentium copia est excitata.

b) *Ibidem.*

do austeriorum, nec non spiritus vinosi, diei noctis que interuallo cum lacte permixti, et in calore detenti, efficacia in cogendo lacte muliebri per experimenta est cognita. Haec omnia in aliorum mammalium animantium lacte, iisdem sub conditionibus, secus fiunt. Proprium quoque lacti sal, quod *saccharum* appellari solet, in humano lacte copia fere cum isto conuenit, quod ex vaccino lacte comparatur. Reliqua chemicorum examina, quae ad serum et butyraceam caseosamque lactis humani partem privatim spectant, hic non recensebimus, sed lectores haec desideraturos ad scriptores hic iam excitatos consulto remittimus c).

#### §. IV.

##### *Lactis copia a vietu diversa.*

Oberrantem in sanguine arterioso chylum esse lactis fontem, iam supra diximus, eiusque secretio nem in mammis vberibusque mammalium animantium expediri, nisi aut naturae ordo, aut nondum absolu: organi colatorii perfectio, aut forte morbi cuiusdam vis, vt in metastasis lacteis, stimulis naturalibus aliorum conuersis, chylosas sanguinis particulas ad alia loca deuehat, et a lactiferis mammarum viis deriuet, physiologorum pathologorumque demonstrationibus confirmatum habemus. Verisimile ergo videtur, prout elaborati chyli copia in singulari quodem animali te habet. ita quoque lactis copiam, nisi contraria illa interuenerint, fore propria-

\* Ibidem

portionatam. Atque huic eonieeturae experientia quoque fidem fecit. Eorum enim alimentorum esu, quae *polychyla* a materiae alimentariae commentatoribus vocari solent d), in lactantibus quoque lactis copiam augeri videmus; imminui contra a frequenti victu *oligochoyo*. Vnde haud inopportunum etiam foret, si priora ista *polygala*, posteriora vero *oligo-gala* appellarentur. Interim vtroque in genere ratio quoque est habenda subseciuorum ordinum: quoniam, prout in his diuersus est commixtionis elementorum, chylo lactique generando inservientium, apparatus multiplexque proportio, licet generatim utriusque humoris colligendo priora admodum deprehendantur apta, tamen aliquod quoque copiae, exinde dependentis, esse solet discriminem. Taceo, alia utriusque generis a ventriculi virtute facilius digeri, aegrius alia: alia eidem, si intemperanter adsumentur, fieri molesta; grata vero et excepta, si temperantiae cura sit habita. Taceo de iis, quae hic inedia, quae sufficiens vietus efficere possunt. His enim omnibus singulisque modis chyli, adeoque etiam lactis, aut incrementum evenit, aut decrementum.

§. V.

*Idem argumentum.*

Sed, vt diximus, *polychylorum* varia sunt subseciu genera: quae in tantum ex ZÜCKERTI mente persequemur, in quantum chylo lactique prospiciunt. Primum ex his genus constituent *mucila-*

*ginea;*

<sup>d)</sup> Confer IO. FRIDER. ZÜCKERT *Materiam alimentariam*; §. 22. 23.

B

ginea; speciatimque denuo *fibrosa mollia*, et *farinacea*, atque ex solo vegetabili regno desumuntur. Ex fibrosis mollibus alia porro sunt *dulcia*, *subdulcia* alia. Ex prioribus inter cibos nostratiui polychylos polygalosque excellunt radices sisari, dauci, betaeque rubrae: ex posterioribus vero radices pastinacae, petroselini, scorzonerae, tragopogonis, et ceterae. Farinaceorum plurima huc referuntur, variis modis artificiisque vieti accommodata: verbi caffa, triticum, secale, hordeum, auena, oryza, fagopyrum, spelta, festuca fluitans Linn. solanum tuberosum, et alia, atque ex iisdem parata farina, alica, gratumque. Alteri polychylorum generi subsunt *gelatinosa*, partim *tenui mollique*, partim *tenaci duraque carne praedita*. Priora hac virtute posterioribus praefant. Inter ista referuntur carnes vitulinæ, bubulae, veruecinæ, ceruinæ, raninæ, testudineæ, quaelibet gallinaceæ, turdinæ, et aliae, itemque oſtrea; inter haec autem carnes vaccinæ, leporinæ, anserinæ, anatinæ, nec non mytulorum, astacorum, limacumque. Tertiī generis sunt *pinguia sive oleosa*: inter quae vi polychyla eminet ipsum lac cum lacticiis inde paratis; quibus addi possunt omnes nuclei, conficiendis emulsionibus apti. Polychylis demum addi quoque merentur ex potulentorum genere cereuisiac meraciōres, ex tritico hordeoue coctae. Haec omnia igitur, quae nunc enumerauimus, ad viatum adsumta, chyli, et in lactantibus lactis, copiam insigniter augent, adeoque sufficiens infantibus lactentibus subministrant nutrimentum. Plane contrarii ab

ab oligochylo vietu obseruantur effectus: de quo nunc  
sigillatim agere superuacaneum nobis videtur, quo-  
niam cuilibet nutrici curae erit cordique, vt infantu-  
lus iusta lactis copia sufficienter alatur.

§ VI.

*Mixtio lactis a vietu mutata.*

Longe autem maiorem medici attentionem  
meretur ipsa illa elementorum mutatio, quibus mu-  
liebre lac componitur, quae a vario lactantium vietu  
accidisse est obseruata. Prout enim alimenta parti-  
culis scatent aut acidis, aut ammoniacalibus et alca-  
lescentibus, ita etiam probabile fit, easdem a chylo,  
quippe liquore magna sui parte aquoso, solui suffi-  
cique, simulque ad sanguinem deferri atque hoc du-  
ce denique lacti in mammarum ductibus secernendo  
immisceri. Nostra igitur omnino refert, per partes  
ire, et curiose expendere, quasnam praeccipue par-  
ticulas salinas hic vel ille vietus potusque singulariter  
chylo, et hinc quoque lacti, admisceat. Generatim  
quidem, vt iam monuimus, ab experientia constat,  
humores nostros a vietu solo vegetabili acidis, ab  
animali vero alcalescentibus ammoniacalibusue ele-  
mentis fieri abundantiores. Verum enim vero haec  
sine vlla exceptione adfirmari neutquam posse, ex  
exemplis conuincemur. Denuo ducem sectabimur  
**ZÜCKERTVM** in ordinandis alimentorum classibus,  
ad quorum elementa priuata expendenda animum  
sumus appulsuri. Quoniam vero inter has lactis fe-  
minini corruptelas non solum acidi aut ammoniacalis

inquinamenti abundantia locum habet, verum etiam  
aliae cacochymae misturae, aromaticae, balsamicae,  
spirituosaes, narcoticæ, et reliquæ; quæ se haud  
difficulter infreueenterque lactis elementis immiscent,  
lactentiumque infantum neruos grauiter adficiunt:  
non possumus et haec silentio praeterire.

### §. VII.

#### *Acidi in lacte abundantia.*

In feminarum lacte acidum elementum quidem  
semper in ea singulari massa, quæ saccharum lactis  
nominari solet, deprehenditur: inest tamen iusto  
abundantius, si sequentium alimentorum frequentissi-  
mus et fere solus fuerit usus. Quippe ex *polychy-  
lorum* classe huc spectant sisarum, daucus, betae  
brassicaeque singulæ<sup>e</sup>, pastinaca, petroselinum, tra-  
gopogon, scorzonera, et id genus alia. Quod ne  
mireris, cum singula ex examinibus chemicis acido  
saccharino abundant. Porro farinacea omnia, ex-  
cepto quodammodo tritico f): quæ acida indeoles  
facile per fermentationem vinosam atque acetosam  
declaratur. Animalium carnes licet huc referri ne-  
queant, eorundem tamen pinguedines et ipsum bu-  
tyrum, præcipue si rancecant, ab inquinamento  
acido non sunt immunes. Idem valet quoque de  
amygdalis nucleisque similibus. Ipse largus lactis et  
laeticiiorum usus humores nostros acidi copia inqui-  
nat. Inter *oligochyla* hoc loco poni merentur omnes  
fructus horaei, singula Hesperidum poma, fructus  
mori

e) Confer tamen etiam §. VIII.

f) Videſis ibidem.

mori, rubi idaei, berberum, ribiumque, vuae vi-  
niferae, recentes et passae; porro quaedam brassicae,  
betae, lapathi, rumicis, cynarae, et aliorum ole-  
rum genera, itemque omnes herbae, quae in aceta-  
riis adsumi solent. Ex horaeorum fructuum classe  
in primis huc faciunt mala et pyra silvestria, nec non  
cydonia. Piscium huc pertinentium pinguedines  
facile in ventriculo rancescunt, et hinc quoque euo-  
luto suo acido facile chylum inquinant. Inter potu-  
lenta denique pleraque cerealia, praesertim si iusta  
fermentatione nondum sunt depurata, aut alteram  
acetosam subire incipiunt, nec non potus Theae aut  
Coffeae nimium saccharati, itemque compositi isti  
limoniati, semispirituosi, verbi caussa, *Punch* An-  
glorum, porro vina acida, austera, immo dulcia ex  
vuis semifiscatis, hydromel fermentatum, et ipsa  
aceta, inter ea locum omnino occupant, quae chylo  
laetique largiore acidi copiam comparare possunt.

### §. VIII.

#### *Cacochymia lactis alcalescens aut ammoniacalis.*

Verum enim vero scire quoque licet, varia  
esse alimentorum genera, in quibus sal *alcalinum* vo-  
latile et ammoniacale latet, licet nonnullis ipsorum ali-  
quod sal acidum seorsim insit: quae adeo commesta  
efficiunt, ut humores nostri, nec lacte excepto, al-  
calecant. Ex *polychylis* ne ipsum quidem tritici  
amylum ab vrino hoc, teste BECCARIO<sup>g</sup>), im-  
mune est. Idem ineat quoque, per chemicorum ex-

B 3

peri-

g) *Commentar. institut. Bononiens. Tom. II. Part. I. pag. 122.*

perimenta, plerique betae, brassicae, atriplicis, asparagine generibus, et omnibus fere plantis, quas antiscorbuticas medici dicunt; quo loco etiam sedum istud satium culinare, *Tripmadum* vulgo vocatum, haberi potest. Quotusquisque etiam in caseo vetusto putri huius salis praesentiam non agnoscit. In animantium edulium autem carnibus, siue sint polychylae, siue oligochylae, regnat in primis sal quoddam ammoniacale; quod in piscium carnibus vrinoso suo magis abundat: qua ex causa etiam experimentum quotidianum declaratur, cuius fide lac muliebre ex viatu mere animali alcalescere, et blandum subdulcemque saporem amittere, iam supra affirmauimus. Plurium etiam chemicorum examini bus constitut, in albumine ouorum coctura indurato euolui sal quoddam, partim ammoniacale, partim vrinosum tanta copia, ut etiam plurium metallorum solutionem moliantur. Ex *cacochynis* denique tota fungorum edulium classis, forte semianimalem originem indolemque testatura, vrinoso acri sale scatet: vnde facile colligi potest, quamnam corruptionem frequens fungorum esus humoribus nostris sit allaturus.

#### §. IX.

##### *Cacochymia laetis a vietu mixta.*

Supereft, quoniam homines cibis potibusque, partim saporis, partim euepsiae caufa, varia condimentorum genera addere solent, vt horum quoque vim in mutanda laetis miscela breuissime persequamur. Ineft scilicet naturalibus huius generis corporibus, praeter

con-

consueta salina, aut acida, aut alcalina, elementa,  
 varia longe alia singularisque mox spiritus rectoris a  
 BOERHAAVIO vocati, mox olei aetherei, mox re-  
 finae balsamicae tenerioris portio, qua humores ani-  
 males inficere obseruantur. Liceat ergo hanc in lacte  
 quoque natam *cacochymiam* appellare *mixtam*. Haec  
 plerumque per experimenta innotuit. Quippe, si  
 commestis fint, thymum, maioranam, foeniculum,  
 saluiam, satureiam, hyssopum, et id genus alia, lac  
 paullo post et redolet, et sapit. Idem accidit a quo-  
 libet allio. Cibi crocati aut macere conditi in lac  
 ipsum odorem suum transferunt. Ab aia foetida,  
 condimenti loco habita, Indarum seminarum lac foes-  
 tet. A vino absinthite aut aliis herbis amaris infecto  
 mulierum lac haud ita multo post haustum amarescit.  
 Turiones pini iuniores resinosi, faccharo conditi,  
 paullo largius commesti, non solum vrinam, sed  
 etiam lac, odore violaceo inficiunt: id, quod etiam  
 evenit ab haustu aquae vitae mastichinae aut alias vini  
 adulti compositi, quod balsama naturalia et terebin-  
 thinacea ingrediuntur. Ipsas quoque subtilissimas  
 spirituum ardentium particulas lacti admisceri, ex  
 noxis ab abusu huiusmodi potulentorum in lactentes  
 translati fit probable; verbi causa, teste HALLE-  
 RO, ex epilepsia infantis hinc orta.

§. X.  
*Peroratio.*

Quae cum ita sint, medicorum nemo facile  
 negatur est, rectissime victus lactantium variam in  
 lacten-

tes efficacitatem adfirmari. Proinde etiam dirigi poterit vietus matrum nutricumque in sanitatem infantorum tuendam aut ex morbis in meliorem statum vindicandam: prout nimurum seminia morborum infantilium acidae aut alcalescenti et in putredinem pronae cacockymiae debentur. Carnibus et piscibus nutrici datis sanatos esse in puerो morbos, qui ex acido nati erant, grauis auctor est BOERHAAVIUS. In iis vero valetudinis incommodis, quae dyscrasiae alcalinae putrique merito adscribi possunt, vegetabilia alimenta atque potulenta nutricibus dantur, acido elemento plurimum foeta. Vtrum autem in neruorum debilitate et quasi torpore, sicuti forte in infantibus adsit, vietus aromaticus et balsamicus nutrici dari debeat, nec ne? anceps omnino et difficilis est quaestio, nec, nisi maxima cum circumspectione in singularibus exemplis, quae medico offeruntur, definienda. Plerique enim infantes, licet vel maxime imbecilles et velut enerues videantur, haud dispari neruorum gaudent habitu, ac

*genus irritabile vatum.*

HORATIVS.








Ula 3991**6**

X 2309089





VICTVS  
LACTANTIVM  
IN LACTENTES  
VARIAM EFFICACITATEM



P R A E S I D E

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-

FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.

SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS

MEDICI H. T. DECANO

D. XXVII. DECEMBRIS CICIDCCLXXXVIII.

DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE EXPONET

A V C T O R

FERDINANDVS WEISS,

KATSCHERIENSIS SILESIVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.